

Decretum de administratione Bonorum Ecclesiarum
jubetur referri ad Congregationem *de Decretis*.

Decretum de vita et honestate clericorum a Patribus
admissum præcipitur etiam proclamandum esse in dicta
sessione.

Hora tertia recessunt Patres ad tertiam congregationem
generalem tenendam.

Tertia Congregatio generalis.

Die trigesima prima Maii ejusdem anni, hora tertia post
meridiem convenerunt Patres in loco solito, cum suis offi-
cialibus et theologis.

Leguntur acta præcedentis congregationis generalis.

Legitur etiam *decreta de vita et honestate Clericorum*
in proxima sessione proclamandum.

Hora quarta cum dimidia, facta oratione, recessunt
omnes.

Sessio secunda.

Die prima junii ejusdem anni, incidente in feriam quin-
tam sextæ hebdomadæ post Pascha, hora octava cum dimi-
dia ante meridiem convenerunt Patres, cum theologis
et officiariis suis, in aula Palatii Archiepiscopal, et perre-
xerunt omnes per viam privatam ad ecclesiam metropolita-
nam, eodem ordine et eadem solemnitate in prima sessione
servatis.

Missa solemnis de *Spiritu Sancto* celebratur a Reveren-
dissimo Episcopo Torontino, et sacra concio, anglico idio-
mate, habita est a Reverendissimo Episcopo Carrhensi.